

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.



D. CHRIST. AVG. CRVSI  
GNOMON  
AD  
PROPHETIAM  
DE  
IMMANVELE,

IES. VII. XII

PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.  
FESTO NATIVITATIS CHRISTI

MDCCLXXII

t.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA







Quum omnis de Christo praedictio, quae in sacris literis extat, Christiano homini magni ponderis est, tum in primis rei christianae interest, ut vaticinia illa, quae in libris noui testamenti expresse citantur, non solum intelligantur bene, verum etiam indubitata sint, ipsaque allegatio agnoscat<sup>ur</sup> recte facta, nec in meram accommodationem fingendo conuertatur. Conuenit ergo hoc praecipue in *dictum illustre de Immanuele* e virgine de domo Dauidis oriunda nascituro, quod expresse allegat Matthaueus, C. I. 22. 23. cuius in memoriam sacra natalia Domini nostri Iesu Christi, quae nunc celebramus, vnumquemque facile reducunt. Quare nobis videmur gratiam a nonnullis inire posse, si ad percipiendam praedictionis huius vim hac scriptiuncula, quam festus ille dies poscit, illis adiutores esse studuerimus. Quod quoniam iusta explicatione totius textus Iesaiæ, in quo extat illud dictum, fieri nequit, nam notabilis libri Iesaiæ pars, quae sex capita complectitur, exponi deberet, periculum faciemus alia ratione, et quasi gnomonem dabimus, quo legendum attentio vtiliter dirigi queat, ut ipsimet textum legentes animadvertant, quam luculentum et quam copiosum de Christo vaticinium insit in tota illi Iesaiæ libri parte, quinimmo ad Christum omnia, quaecumque insunt, referantur.

Contextum vnum et cohaerentem esse apud Iesaiam a capite septimo vsque ad duodecesimum attento lectori non modo ex contentis obuiam est, sed ex eo etiam a quolibet perlustrante intelligi necesse est, quod introitu historico peculiari incipit, et narrandis primum rebus gestis, deinde subiecta ampla oratione, quae semper ad narrata illa spectat et recurrit, pergit vna serie, donec caput XIII. noua imposita inscriptione doceat, sermonem capite XII. finitum fuisse. Quamobrem caput VII--XII. in volumine Iesaiæ separatum suisque propriis limitibus terminatum quasi libellum conficit, quem *librum Immanuelis* vocare poteris. Continet ille descriptionem aliquot legationum Prophetæ ad regem Achazum, in quibus nihil illiusrius est, quam eiusmodi praedictio natiuitatis Immanuelis de domo Dauidis, et e virgine quidem nascendi, quae in summo periculo, in quo res tunc erant, pro signo, cur pietas bene sperare debeat, constituebatur. Posthac vero copiosissimum sequitur vaticinium, quo longo sermone disseritur, quid futurum sit, et explicatur, quomodo in Immanuele illo spes omnis salutis non tantum domus



domus dauidicae et gentis israeliticae sed totius etiam terrarum orbis posita sit.

Quo statu res iudaicae tunc fuerint, ante omnia ex historia illius temporis animo recte complectendum est. Nempe ad castigandum populum, in quo, quanquam sub regibus puritatem cultus publici sine ulla idololatriae vestigio tuentibus, Azaria et Iothamo, hypocrisis, et iniustitia ad coelum clamans penes iudices, dominabantur, contigerat sub diuina prouidentia, vt prorsus inopinato rex decem tribuum Pecachus cum Syris, contra politicos regulas, quippe sui regni pariter inimicis veteranis, foedus pangeret ad delendum regnum Dauidicum, quod Hierosolymis florebat, et in quo Achazus post patrem Iothamum regnabat. Achazus cum regnum capesseret, adolescens erat viginti annorum, animo autem multis nostrae aetatis similis, nempe parum credens patriae religioni, exceptis capitibus, quae omnes vel plurimae religiones communia habent, sed captus admiratione florentium gentilium, imitabatur potius horum mores et cultus. Quare cum ab vnitis regibus, Rezino damasceno, Pecacho ephraimitico, ingentia mala iam passus esset, nam Rezinus neruum opulentiae inciderat capto emporio Elath, a Pecacho clade prorsus horrenda victus erat, iamque obsidio vrbs Hierosolymae instabat; Achazus iam in duplici negotio versabatur. Alterum erat, vt prouideret Hierosolymae, quo obsidionem quam diutissime ferre posset, alterum vt missis domus Dei et regiae thesauris se in clientelam regis Assyriae Tiglathpileseris dederet, et ab illo impetraret, vt Rezinum et subiectam illi Syriam perderet, quo facto vel nihil magnopere timendum erat a solo Pecacho, vel is pariter siue auctoritate siue armis regis nineuitici in ordinem redigi poterat. Alterum ex his consiliis prudentiae erat, dummodo modeste et pie ageretur; alterum vero, videlicet expetitur ab Assyrio auxilium, cum contumelia Iehouae et verae religionis coniunctum erat. Quamobrem vice plus simplici missus est Iesaias, vir summae auctoritatis, quam ne Achazus quidem fluctuans et semiprofanus facile recusare posset, quoniam iam sub auro illius, rege Azaria seu Ozia, vt Propheta illustris inclarauerat. Missus nempe est, vt Achazum ab intolerabili consilio emendi securitatem ab Assyriis auerteret, ad veram spem Israelis vniuersi, et sigillatim domus Dauidicae, de Christo reuocaret, et ad agnoscendam veram causam malorum, quae haecenus euenerant, sed et spei, quae supererat, solaque vera spes esse poterat, perduceret. In his legationibus propheta dixit, quae dicenda erant. Sed quia, quantum ad regem et



## IV

republicam, frustra locutus erat, magno deinde et copioso sermone amplius exponit et diducit idem illud, quod in antea iamiam a se dictis praecipuum erat, ne pia et bona pars populi in multo maioribus malis, quae nunc euenire oportebat, animum abiiceret. E contrario certior illa fieri debebat, mala ista nunc quidem rempublicam nondum deletura esse, sed, quamuis grauias sint, tamen cum Assyriorum ipsorum clade terminanda esse, sed bona omnia, quae Israeli et domui Davidis promissa sint, certissime esse euentura. Atque ad animum reuocare debebant, tam magna esse illa bona, ut prae istis contemnere et aequabiliter ferre fas sit calamitates, quae nunc impendebant. Item monendi erant, tale fidei exercitium ne proprium quidem fore praesenti tempore, sed plura eius generis adfore, nihilo secius autem euentura esse omnia bona, quae foedus Dei de Christo illis addiderit, eaque ad omnes omnino gentes manare oportere. Ex quo sane sequebatur, tantum abesse, ut opus sit bonis Israelitis spem collocare in gentilibus, ut potius ecclesia Israelitica totam terram, omnes gentes possidendas acceptura sit.

Ex descriptis his legationibus et sermonibus Iesaias, quos haecenus commemoravi, constat illa libri pericopa, quam dixi appellari commode posse *librum Immanuelis*, nempe librum praedictionum de Christo sub nomine reali et emphatico *Immanuelis*, scilicet Domini illius, per quem, quando missus fuerit, *Deus nobiscum* est, in quo spem ponere et adquiescere olim debuerunt, qui aduentum eius ex promisso diuino expectabant, nihil veriti, quidquid accideret in mundo, atque tanto magis nunc, postquam missus et glorificatus est, considerare debent fideles immota constantia, quidquid contra moliantur vel principes mundi, vel mali doctores et religionis turbatores, vel vniuersa hypocritarum et flagitiosorum colluuias. Dispescamus igitur hunc gnomonem secuti librum Immanuelis Iesaiarum; quo facto prudentes ex sola partium recensione et comoda dispositione intelligent, ad Immanuelem omnia et singula referri. Excutere singulas voces vel textus particulas huius loci et temporis non est, sed nec opus erit ad scopum, quem tractatiunculae huic proposuimus, obtinendum: attamen commata quaedam, in quibus interpretandis versiones errare solent, rectius vertemus, recteque translata suo loco inferemus. Perspicient, qui in hoc genere versati sunt, versionem nostram nihil adfectionis habere, sed vniuersae sequi rationes grammaticas, adscita simul veteri historia et parallelismo biblico. Nam sine his adiumentis inter plures vocis *πρωτοτύπος* significaciones vera et contextui apta deligi non potest, sed erratur coniecturis et opi-

nioni-



tionibus, scepticismo autem exegetico ipsique profanitati via ita panditur, ut inertes et improvidi facile inducantur et decipiantur, sed vera praeter rationem.

Obseruetur ergo de libro Immanuelis I.) pars prior historica et fundamentalis, quae de tribus Iesaiæ legationibus exponit. Nimirum 1) est legatio gratiosa, qua regi Achazo nomine Dei significatum est, consilia, quae agitent Rezinus Syrus et Pecachus rex ephraïticus contra domum Davidis, ab hoc tempore irrita fore, nec amplius successum habitura esse, quemadmodum superiori anno habuerant, Cap. VII. 1-9. Narratur summam res, regnante Achazo Rezinum et Pecachum mouisse bellum contra hierosolymitanum regnum, eo usque procedens, ut ipsam Hierosolymam oppugnarent, quae tamen expugnata non sit, v. 1. Specialiora de isto bello vide 2 Reg. XVI. 2 Paralip. XXVIII.

Magnopere sibi timuit domus Davidis, cui internecio intendebatur, et uniuersus cum illa populus subiectus v. 2. Missus ergo est Iesaias ad Achazum, quem ex loci descriptione credibile est, in eo fuisse, ut aquaeductui prouideret, ne, quando diuturna obsidio toleranda sit, vrbs aqua careret, et boni ominis causa comitem sibi adiungere iussus est filium suum, cuius nomen erat Scheariaschub, i. e. reliquum reuertetur, v. 3. Mandauit regi, quiescendum sibi que cauendum esse, nempe desistendum esse ab implorandis Assyriis. Duos reges inimicos non amplius multum damni esse duros, non delecturos esse regnum Dauidicum Hierosolymis, v. 4-7. nihil Rezino praeter regnum aramaeum, s. Syriae, a Deo decretum esse, Ephraïtas autem, qui nunc id agant, ne regnum sit in Iudaea, intra 65 annos ne populum quidem fore, interim nunc Pecacho praeter Samariae regnum, cui praesit, nihil esse sperandum. Caeterum salutem Iudaeorum ab hoc pendere, si huic nuntio diuino fidem habeant, v. 8. 9.

At vero illa salutis conditio non cadebat in regem Achazum, qui non patriae religioni obtemperare, sed politicis praesidiis niti, et admirari opulentiam gentium solebat, eamque ob causam etiam, si quid religionis causa faciendum sit, tutius illud fieri putabat sequendis religionibus magnarum et potentissimarum gentium, quam fide israelitica, quam tantummodo profus deserere non audebat, quoniam in ea natus erat, et in folio Davidis sedebat, quod thronus Iehouae in Israele erat. Additur ergo 2) altera Iesaiæ legatio, qua post spretam Dei gratiam certitudo spei Israelis asseritur, sed transitur ad seueritatem, summaeque calamitates publicae certo praedicuntur per illos ipsos auxiliares, Assyrios, quos



verbo Iehouae praeferebant C. VII. 10-25. Scilicet offertur Achaz signum vndecunque petendum, siue ex superis siue ex inferis, et signi nomine hoc loco miraculum perspicuum et cognoscibile intelligi debet. Nam amoliri suspicionem regis opus erat, quasi Iesaias fortasse suam ipsius sententiam, non oraculum diuinum, pertulisset. Ne aequissimam quidem hanc conditionem Achazus acceperat, quod mirum non est. Nam cuius animus illa verbi diuini vi, qua animus percclitur et in melius mutatur, nondum attingitur, et qui inter externa religionis argumenta non ad connexionem rerum gestarum inde ab ultimo tempore attendere, eamque ipsam euentorum copulationem cum praestantia doctrinae, et agnita illa perceptaque, contendere didicit, eius dubitationibus vagis et sophismaribus nullum prodigium separatim sumtum facile satisfacere potest. Sed bene sensit rex callidus, si expetitur signum contigisset, ipsam a populo coactum iri ad morem prophetae gerendum. Detrectauit ergo illud pia modestia simulata, v. 10-12. Fessum sic fieri debuisset prophetam ad loquendum, per se pater, nihil enim nunc illi supererat, quo bonam fidem suam regi probaret. Sed causa Dei agebatur, quapropter grauius pronuntiat, efficere ipsos, vt Deus etiam fessus sit ad miserendum illorum in praesenti necessitate. Ita enim v. 13: *et dixit, audite quaeso domus Dauidis, vobisne satis non erat fatigare homines, (nempe in prima legatione Iesaiam iam fatigauerant) quod fessum etiam facitis Deum meum (cuius nomine loquor)?*

Iam cogitemus a priori, quid in causa religionis faciendum fuerit, quando specialia et extraordinaria non admittebantur, attamen bonae populi parti prouidendum erat, neque propter malam partem bona deseri debuit. Procul dubio generales et prorsus essentiales doctrinae vtendae erant. Sed nihil ad fidei Israeliticae verae essentiam magis attinebat, nihil eius proprium et principale dogma tantopere constituit, quam expectatio Christi. Quamobrem pius quilibet regerere potuisset, etsi malis moribus vestrīs in mala non necessaria nunc coniecitis rempublicam nostram, non tamen religionem nostram irritam facietis, nec efficietis, vt fides diuina fallat. Vestro capiti mala arcessitis, sed Israel est et erit sanctus Dei-populus, in quo Deus regnum suum instruet. At vero specialius quiddam addere licebat, quia Christus progenies Dauidis futurus erat, quam ob causam fieri non poterat, vt domus Dauidis interiret; sed id agebant iam hostes, vt hanc delerent, et ad domum Dauidis sermo prophetae directus fuerat. Veruntamen hoc quoque si Iesaias dixisset, existimari poterat nosse illud duntaxat et adferre e sacris literis, quae



quae iam dudum extabant, videlicet e psalmis et historia Davidis. Convenientissimum ergo fuisse intelligitur, quod reuera contigit, quod Spiritus S. per prophetam loquens enuntiat quidem dogma hoc principale, sed cum noua et hactenus inaudita determinatione, quam sola reuelatione diuina innotescere necesse est, videlicet quod Christus e virgine nascatur, quodque tum, quam nasceretur, non regnaret domus Davidis, sed Christus humiliter in terra vitam acturus sit. Posterius hoc itidem ex psalmis iam scire Iesaias potuisset, sed prius illud de natiuitate ex virgine prorsus nouum erat. Itaque tanquam ecstasi correptus et per visionem intuens futuram Domini matrem loquitur: quare \*) dabit Dominus ipse vobis signum, (quod maximum in se est miraculum, et pro signo signante tunc quoque esse poterat, quamquam res ipsa demum euentura erat post septem secula) ecce virgo illa! grauida est et parit filium, et vocabis tu virgo (alloquitur virginem, quia verbum positum est in foeminino) nomen eius Immanuel (Deus fortis nobiscum est. Non opus est, nomen propriam Messiae in antecessum hic poni, sed nomen reale intelligitur, hoc est, quo verissime appellari et laudari possit, idque non modo alias fieri consuetum est, sed et in sequentibus clarissime cernitur, quoniam multo plura nomina Christi realia pro explicatione nominis Immanuel commemorabuntur). Butyrum et mel comedet, (est descriptio tenuiter viuentium, quibus lautae dapes non sunt, attamen nec esurientium et famelicorum, sed degentium vt viuunt homines de plebe, at sua forte contenti. Sic recurrit Cap. VII. 22.) vt noscat aspernari malum et eligere bonum. (Est descriptio obedientiae, quae experimentis cernitur, quando malum morale semper repudiatur et vitatur, malum physicum, nempe dolor, non curatur, sed Deo placens semper eligitur. Noscere dicitur h. l. pro praestare, et cum effectu est intelligendum. Sic alio loco discere dicitur Ebr. 5, 8. quamquam Filius Dei erat, tamen eo quod passus est, obedientiam didicit, h. e. ita praestitit, sicuti discens obedire, qui prorsus se subiicit, non suo vitur iudicio, non disputat nec reluctatur.) v. 14. 15. Hic clauditur pericopa, vti etiam pericopa epistolica nostra F. Annunt. Mariae hic clauderetur, quae quoniam ad v. 16. protenditur, in difficultates et dubitationes coniecit illos, qui non sentiunt, v. 16. nouum contextum incipere. Animaduertunt enim, Immanueli verba neutiquam conuenire, sed coacte ad illum trahi, et

\*) לכן quod alias est quare, malim tamen hoc loco vertere contra, i. e. apposite ad hoc, sed sic, vt alterum alteri e regione ponatur, ארי תרש, vt idem notet, quod alibi על-כן v. g. Ps. 110, 7. coll. Ebr. XII. 2, ארי,



## VIII

et miris artibus, quae nunquam satisfecerint ingenue veritatem quaerenti.

Haecenus igitur de certo et indubitato *Christi aduentu* agitur, suntque duo, quae de illo afferuntur, a) quod in eius persona Deus cum hominibus est, quae est vis nominis *Immanuel*, atque haec spes fidelibus expectantibus pro signo salutis esse debebat, deinde b) illud quoque, quod tamen *Christus in terra humiliter videtur sit*, tamquam qui obedientiam discat, vel potius qui eam praestet, in quo implicite *humilitas domus Davidis praedicitur*. Ergo quasi dicitur: esto vobis, quotquot pii estis, hoc pro signo, *Christus nascetur ex virgine de domo Davidis*, sed humiliata erit domus regia, istaque *humilitas temporis aduentus Christi congruit*, quia ipse humiliatus obedientiam praestabit.

Sed aliud quoque addendum erat, scilicet quomodo Achazo et Israelitis cessura sit ista obstinatio, quod Ephraimae adscitis Aramaeis audent concurrere ad defendendum regnum Davidis, quodque Achazus nollet auxilium a Iehoua petere, et ne acceptare quidem, ipsamque fidei confirmationem per miraculum dolose deprecaretur, sed Assyrios imploratet, et illorum auxilio fretus esset. Praedicitur ergo c) *primum, duos reges inimicos*, a quibus Achazus tantopere timeat, ut Iehouam eos reprimere posse desperet, nisi Assyrii aduocentur, *brevi esse perituros*, v. 16: *Sed antequam puer quisquam noscat repudiare malum et eligere bonum* (i. e. antequam recens natus puer ab hoc ipso tempore ad annos discretionis pertingat. Nam hoc etiam phrasis notat apud Ebraeos, quare lusuf verborum, qui Iesaias est familiaris, in eo inest, quod breui instans exitium duorum regum interuallo metitur, quo infans ad usum rationis peruenit. Est hoc transitionis genus, quod *ναρὰ τὸ συμβεβηκός* vocatur. Nimirum proxime antea de nascendo puero dixerat, at de longe alio, nempe de Immanuele, eaque phrasi alio sensu in descriptione obedientiae Christi usus fuerat.) *deseretur terra, quam fastidit, a facie duorum regum illius*. Sed, quod *secundum est*, praedicitur, *per Assyrios* Iudaeis et domui dauidicae maiora mala ab hoc ipso tempore, quo iam auxilium illorum implorabant, inferenda esse, quam unquam acciderint, ex quo diuisum sit regnum, v. 17. Iudaeam fore theatrum belli inter Aegyptios et Assyrios, qui tunc de orbis imperio inter se certabant, v. 18. 19. et ab ipsis Assyriis suo decore esse priuandam et contumeliose taetandam, v. 20. Veruntamen ne ruina regni Iudaici iam instare crederetur, quemadmodum finis ephraimici regni prope aberat, postremo additur, paululum pecudis remansurum esse, sed superstites tamen



tamen nutrimenta sua largiter habituros esse v. 21. 22. terram autem optime cultam desolatam et vepretis rectam fore v. 23-25.

Sequitur 3) *tertia legatio Iesaiæ*, cuius ratio intelligitur, si ponimus, nemini fere credibile fuisse, potentissimos duos reges tam cito perire posse. Mittitur non ad regem, sed ad consiciendum instrumentum publicum gravissimis testibus confirmatum, et eo scriptiois genere exaratum, quo ab vnoquoque; de plebe etiam, legi posset, (*כְּהַרְשׁ אֲנִי*) super illa ipsa re, quod appropereet spoliatio, *festinet directio*, quod ita factum est, testibus pontifice Vria, et alio viro dignitate conspicuo, v. 1. 2. Circa idem tempus prophetissa puerum enixa est, cui nomen positum est *Mahershalal Chaschbas*, ab iisdem desumptum verbis, quae in instrumento illo publico titulus inscriptae praedictionis fuerant, addita explicatione, *antequam infans hic loqui inciperet, iam fractam fore potentiam damascenam, et Assyrios magna praeda samaritana potituros esse* v. 3. 4. Videtur de vxore Iesaiæ agi, eiusque puerperium more Ebraeorum cum additamento ipsis vitato, sed a nostro loquendi more alieno, narrari. Scilicet in plusquamperfecto vertendum est: *et appropinquaueram ad prophetissam, et conceperat, et peperit filium etc.*

Venio ad delineandam H.) *partem posteriorem libri Immanuelis*, quo nomine iam partem voluminis Iesaiæ de Immanuele agentem insignimus. Est vero illa longe maxima C. VIII. 5—XII. f. quumque prior pars historica fuerit, narratisque rebus gestis et propter illas dictis fundamentum posuerit, cui superstrui possit vniuersa regni Dei in Israele per Christum exstruendi et fatorum gentis descriptio, posterior haec pars *constat sermone continuo copioso*, quo partim explanantur et applicantur, quae iam dicta erant *de Immanuele, de Assyriis et de Israelitis*, partim ulterius determinantur. Personae loquentes, quae inducuntur, siue per fermocinationes, siue per apostrophas, quin etiam *prosopopoeias*, quemadmodum per totum Iesaiæ librum fieri solet, diligenter sunt animaduertendae. Praesertim vero citata ex hoc sermone, quae in libris N. T. occurrunt, notanda, et sanctè tenenda sunt. Fortasse enim literatissimi homines sua sollertia ad tam profundam connexionis perspicientiam hodie non penetrarent, propter tam multa obsacula, quae vitio Iudaeorum et Christianorum intelligentiam sacrarum literarum difficilem et impeditam reddunt, nisi Apostoli nobis praesent, quorum mentes idem Spiritus rexit, qui per prophetas locutus est, suorumque verborum sensum illis aperuit. *Diuidatur sermo in tractationem generatorem*



C. VIII. 5 — IX. 6. quam sequitur rerum earundem *expositio uberior*  
C. IX. 7. — XII. f.

*Summa tractationis generalis est, quod populo propter vanam mundi admirationem improbo, ad gentilissimum propenso, atque etiam seditioso, praedicuntur calamitates ab illis ipsis, quas stulte venerunt, gentibus inferendae, sed ita ut expectatio Christi et gloriae regni Dei firma maneat.* Nimirum quum Deus prophetae denuo dixisset, *inundandam esse per Assyrios terram seditiosi huius populi et alienum imperium optantis,* C. VIII. 5-7. *dolet propheta et alloquitur Immanuelem, cuius sit illa terra* v. 8. *Statim roboratus a Spiritu prophético illudit consiliis hostium, nixus vi nominis Immanuel.* v. 9. 10.

*Tunc ad populum orationem conuertit. Auocat a sensu carnali, et ad Iehouae reuerentiam excitat, qui sanctificabit sanctificandos, sed improbis pro Iaqueo erit,* v. 11-15. *Dicitur hoc non tantum improbis illius temporis, sed etiam futuris temporibus.* Nam humilitate Christi, de qua dictum fuerat C. VII. 15, *carnales Iudaei potissimum offensi, sed et illaqueati sunt, ita ut euangelium successum haberet, sed ipsorum respublica periret.*

*Congrue his sequitur statim verbum Dei ad ipsum Christum, quo iubetur tandem suum testandi munus claudere, sed in discipulis Seddi-  
dóxrois doctrinam traditam obsignare,* v. 16. *Is vero etsi in populo, quem Deus repudiabat, exiguo cum fructu eousque laborauerat, spem habet in Deo,* v. 17. *De pueris sibi a Deo, datis, ut prodigiorum instar sint, certus est, quod Sion seu Hierosolyma per illos ut vrbs Deo sacra glorificanda sit,* v. 18. *Scilicet hoc euenit per missum Spiritum S. et euangelium ex vrbe Hierosolyma per orbem diuulgarum, quo illa mater ecclesiarum Christi facta est.*

*Regreditur sermo prophetae ad sui temporis populum. Taxat morem diuinationes more gentilium captandi* v. 19. *cum Scripturae S. obtemperare deberent* v. 20. *sed praedicit exinde nil nisi mala, quae quando euenierint, adigant homines ad blasphemias et desperationem* v. 21, 22. *Inde vero commode fit transitio ad folatium.* Nam desperare impiorum est, piis folatio est idem ille supra dictus Immanuel, cuius est terra Israelitica, quam suo aduentu stato tempore illustraturus erat, et ipse aeternum regnum habiturus, quale Dauidi promissum, et de quo foedus diuinum sancitum fuerat.

*Transit itaque propheta a tristissimi illius temporis descriptione ad glorificationem praecipuam illius terrae per Christum ipsum, ubi tunc grauissimarum calamitatum initium factum est, nam partes septentrionales*



nales primum per Assyrios incolas suos amiserunt, v. 23. et C. IX. 1. Sed non obtenebratum quiddam in perpetuum erit terra, cui angustia creata fuit; quemadmodum tempus praecedens attenuavit in terra Sebulon et in terra Naphthali, etiam posterius glorificabit: viam maris Galilaei, terram ubi Iordanes traiecitur (adiacens vtrinque ad Iordanem) Galilaeam versus gentes (finitimam Tyriis et Sidoniis). Populus versantium in tenebris videt lumen magnum, super sedentibus in terra umbrae mortis (spissarum tenebrarum, quales sepulchri sunt) lux oritur. Describitur gaudium super beneficiis Christi et liberatione a malo v. 2. nec non triumphus eius de omnibus hostibus, quippe qui virtute diuina, non armis humanis, populum suum liberabit, fere vti olim per Gideonem a Midianitis liberati sunt, v. 3. Etiam bello cum strepitu gesta olim finientur, et spurcicies ex illis reliqua amouebitur v. 4. Certa de his omnibus est fides piorum, quia Immanuelem venturum prospicit v. 5. 6. Nam puer nascitur nobis, filius datur nobis, et qui ipse imperet, et vocabitur nomine suo mirabilis, consulens rebus nostris, Deus fortis, pater constitutionis rerum aeternae, princeps pacis. Vt eo modo multiplicetur dominatio et sit pax infinita super throno Davidis et super regno eius, ad parandum illud et ad roborandum iustitia perfectissima. A praesenti tempore et usque in aeternum zelus Iehouae (Dei opus suum accurate peragentis) Domini omnium copiarum, perficiet hoc ipsum.

Iam sequitur rerum haecenus generalius tractatarum expositio copiosior, C. IX. 7—XII. f. Constat illa, apto ordine et dicenti pariter ac hominibus, ad quos dicitur, et rei, de qua agebatur, congruo, tribus partibus. Nam clades, quam Iudaei passi erant a regno ephraítico, et imminens interitus regni et domus Davidis, postquam Israelitae socios adscuerant Syros, contra quos regnum ephraítico hierosolymitano instar propugnaculi esse debebat, timorem illum Achazo iniecerant, propter quem Assyrios potius implorabat, quam verbum Iehouae admittebat, idque tam obstinate agebat, vt ne signum quidem acceptaret, quamobrem expectatio Immanuelis pro signo constituta fuerat. Copiosior ergo peroratio de rebus summatim et generalius dictis sua natura triplex obiectum amplectitur. Videlicet dicendum est de Ephraítis, de Assýriis, et de Immanuele. Atque hoc ita esse, age, in tabula conspiciendum proponamus.

Notetur itaque A) de Ephraítis seu regno decem tribuum Israelítico, C. IX. 7—X. 4. Clarius exponitur quomodo, quod C. VII. 3. dictum fuerat, post annos sexaginta quinque Ephraim ne populus quidem



dem amplius futurus sit. Nimirum Deus franget superbiam Ephraitarum, qui etiam, quando clades acceperant, non cessabant gloriari et maiora molimina iactare, v. 7-9. Post interitum Rezini, quo nunc socio utebantur, hostes huius Israelitas impetent, et plures hostes opportunitate temporis vsi idem ab alia parte facient. Syri vindictae cupidi, quia ipsis societas cum Ephraitis mala ab Assyriis attulerat, et ab alia parte Palaestini in eos simul irruent. Neque hoc satis malorum erit, quia iudicium Iehouae agnoscere recusant v. 10-12. Totum corpus regni Israelitici vno die peribit, v. 13-16, nempe quo Samaria ab Assyriis expugnata et a Salmanassare capta est nouendecim annos postquam Iesaias haec effatus est. Neque sic satis erit, nam regno amisso, necatis quam plurimis et abductis multis, tamen Ephraites propter montanam regionem, in qua pars populi facile loca inaccessa occupabat, adhuc populus manserunt. Postea terra illorum prorsus vastabitur et exuretur, dumque terra sensim his malis consumitur, superstites erunt instar praedonum, inuicem impetent se, et Iudaeam propter vrgentem famem inuadent, et ne sic quidem malorum satis erit v. 17-20. Nempe peius quiddam his cunctis malis euenit adductis Cuthaeis, quorum translatio demum ab Assaradino, Sennacheribi filio, facta est, qui Samaritanam prouinciam occuparunt, et omnem restitutionis spem praecloserunt, quo tempore etiam, quicquid de Ephraitis vel supererat, vel denuo succreuerat, in Assyriam abductum est. Post captam Samariam et vastatam regnum desit, abducti etiam sunt multi. Tum prouincia paruit Assyriis sub Salmanassare et Sennacheribo, donec hic poenam blasphemiarum lueret prope Hierosolymam, et amisso per tempestatem miraculose ingruentem exercitu festinanter in Assyriam remeauit, et a suis filiis occisus est. Tunc ergo Hiskias totam terram Israeliticam sibi vindicauit, atque etiam obtinuit. Nam pronepotem eius Iosiam toti terrae Israeliticae imperasse, certum est. Attamen interiecto tempore post Hiskiam est iudicium, Assyrios incurfionibus nouis terram sibi vindicare studuisse regnante Assaradino. Tunc captus et ex dumetis extractus est Manasse, ex quo colligere licet, illum praelio victum fuisse. Coloni tunc Assyrii in regionem Samaritanam adducti quidem sunt, sed duntaxat exiguam terrae partem incoluerunt, et cauerunt, ne fatalis Assyrii vrbs, Samaria, quae cum Aegyptiis foederata esse solebat, ab Ephraitis instaurari posset. Sed Ephraitarum semper nouas res molientium reliquiae in Assyriam abductae sunt. Manasse rex autem mox restitutus est, quodque, excepta Samaria, Hierosolymitani reges reliquam

terram



terram Israeliticam, quamquam misere vastatam, subiectam sibi habuerint, docet, quemadmodum dixi, exemplum Iosiae, qui nepos Manasses est. Clauduit propheta hanc sermonis partem dolendo, quod Ephraimae malis suis institutis suaque in foro iniustitia has calamitates sibi contrahant, addito, ne quidem his omnibus, quae dixerat, irae satis fore, C. X. 1-4. Respondet utique euentus. Nam Hierosolymitani, etsi non regnum, rempublicam tamen post reditum ex Babylonia recuperarunt, sed Ephraimae haecenus nullam receperunt.

B.) Sequitur *de Assyriis, et eorum strages praedicitur*, quae regnante Hiskia post viginti septem annos ita euenit, C. X. 5-34. Pars haec *tres suppartes* continet. 1) *Reprehenditur in Assyriis*, quod ad perdendas gentes cum summa ferocia prouant, sed eo se perduci non sinant, vt agnoscant, se instrumenta irae Iehouae esse, qui per illos populi sui hypocritarum et flagitia puniat, quodque potius Iehouam non meliorem idolis, quin immo deastris Syrorum inferiorem putent, quem ipsi eludere et vincere possint, quam ob causam *pernicies illis praedicitur*, C. X. 5-19. Genuus poenae nondum determinatur, sed metaphoricè indicatur comparando futuram cladem cum sylua exurenda, vbi paucae arbores remaneant, cui imagini optime respondet interitus longe maximae et optimae partis exercitus Sennacheribi. Notetur tamen, praedici aliquid, quod unico die eueniat, v. 17. et reuera sic contigit, Ies. XXXVII. 36. 2) *Clade illa Assyriorum sapient Israelitae*, qui supererunt ex malis, quae ipsimet ab Assyriis eoulsque perpessi fuerint, et discant Deo considerare, non vana spe inniti istiusmodi auxiliatoribus, qui sint percussores v. 20.

Et per hanc occasionem propheta inserit locum communem de eo, quod de Israele semper aliquid reliquum fiat, quod ad Deum fortem, id est, robore suo aperte agentem, conuertatur, v. 21-23. Quapropter Paulus locum hunc recte allegat, quando docet, ne quidem partem populi malam, quae, quamdiu Christum repudiat, non accensenda est Israeli Dei, atamen sub nomine Israelis permanet, in infinitum fore malam et reprobam, sed ex illa quoque aliquando progeniem sanctam denuo parandam esse, Rom. IX. 27. 28. coll. v. 6. Gal. VI. 17. *Quod reliquum sit*, inquit, *reuertetur, quod reliquum sit de Iacobo, ad Deum potentem.* Nam quando factus fuerit populus tuus, o Israel, quemadmodum arena maris, (conuenit hoc postremo mundi tempore, Rom. XI. 25. 30. quo, qui memoria replicare posset *yeveds* Israelitarum ab initio gentis, multitudinem instar arenae innumerabilem fateri cogeretur) *quod reliquum sit, reuertetur. Nani consuntio est aliquid praecise definitum; id vero, quod omnia inundat, est insinitia.*



*stitia. Nam consummatum quid et praecise definitum Dominus, Iehoua dominus copiarum, perficit in medio totius terrae.*

3) *Hortatur bonos Hierosolymitanos, ne nimis timeant, quando proximo tempore permagna mala terrae illorum ab Assyriis inferantur, id quod utique sic euenire oporteat. Quando grauissima fuerint, auxilium docet proximum fore, euenturam autem esse rem in expeditione Assyriorum versus Aegyptum, et quando hostis iam manum tollat in Hierosolymam, v. 24-34. Contigit res, ut dixi, clade Sennacheribi, sed metaphoricè illa indicatur, non verbis propriis in antecessum narratur. Comparatio rursus a sylua repetitur, sed paulo aliter, quam antea v. 17-19. Nunc enim exercitus Assyrius cum sylua Libani comparatur, et praedicitur, Libani huius arbores praestantissimas partim excindendas esse, partim humiliandas, et ramos illis amputandos esse, v. 33. 34. Notari hoc debet, quia inde phrasis repetitur, dum transitio fit ad denuo dicendum de Immanuele e progenie Dauidis oriundo, sed in terra humiliter victuro, attamen eo ordine ad summam maiestatem euehendo, et omnia Israel et generi humano promissa praesituro. Is enim continuata tantisper allegoria opponitur Libano illi ut furculus.*

Nempe C.) *vberrime nunc iterum exponitur etiam de Christo, seu Immanuele illo saepe commemorato C. XI. XII. Primum rursus asseritur certitudo aduentus eius, eiusque habilitas et sufficientia ad opus suum peragendum. Praesto erit, quidquid eueniat, quo alieni a fide aut pusillanimes offendantur, v. 1. Sed prodibit furculus de stirpe Isaei, et furculus de radicibus eius prodiens fructum feret. Describitur summa perfectio, quae in Christo homine erit per Spiritum Iehouae, qui illi constanter inerat, v. 2. Et quiescet super illo Spiritus Iehouae (generalis assertio) Spiritus sapientiae et intelligentiae (primum par perfectionum, quibus res bene geruntur, altera circa fines, altera circa media occupatur) Spiritus consilii et roboris (secundum par, ut scias, quid et quomodo agendum sit, utque etiam, quod velis, perficere valeas) Spiritus scientiae et reuerentiae Iehouae (tertium par, perfectio circa materiale et formale rerum bene gerendarum). Qualitates recte agentis diuidi possunt ex fundamento triplici, et omnia exhaurit prophetae descriptio perfectionis Christi in agendo.*

Quantum ad *functiones*, propheta sistit Christum ut *intercessorem* pro hominibus, sed *cum reuerentia Dei*, scilicet ut *mediatorem* talem, qui non solum causam hominum erga Deum agat deprecando, ut venia peccatis detur, sed pariter etiam causam sanctissimae maiestatis Dei agat aduersus homines, ne iustitia Dei negligatur. *Innuitur expiatio* peccatorum per Christum

facien-



facienda, quamquam illa hoc loco non exponitur, sed ut cognita supponitur et denotatur mentione *suffitus* facta. (Sic vertendum esse reor *ινωϋ*. Si placet vertere *odorari*, tamen ad thurificationem sacrificorum respici fas est, quemadmodum in *δωμῷ θυωδίας*). Synecdochice nominatur pars sacerdotii typici pro toto. Nam in sacerdotio Leuitico munus mediatorum pro efficienda expiatione praecipue spectatur, et *suffitus* symbolum precationis est, et cum oblatione victimarum coniungebatur. *Sed et statim additur dominatio eiusdem Christi, ut infissime iudicantis, et suos sibi vindicantis, hostes autem delentis, v. 3-5. Et suffitus eius fiet cum reuerentia Iebonae: at non prouti oculis videtur iudicabit* (externa specie deceptus) *nec, vii auribus auditur, arguet* (clamores et rumores secutus). *Sed iuste agit causam tenuium, et rectissime, ut profic mansuetis in terra: et percutiet terram scepero oris sui* (iussu suo regio, iubebit et fiet) *et balitu labiorum suorum occidet improbum.* (Post aduentum Christi corruptelas fore in ecclesia, et florentissimum huius statum post editas magnas hostium strages et post sublatum insignem quandam tyrannum demum expectandum esse, dudum iam indicatum erat in libris Moysi et in Psalmis, veluti Deut. XXXII. 42. Pf. CX. 7. LXVIII. 22. 31. XCIV. 20. 21. Illuc ergo respici existimandum est. Idque ipso Pauli exemplo confirmatur 2 Theff. II. 8.) *Et iustitia erit cingulum lumborum eius, et veritas erit cingulum lumborum eius* (Cingere se more veterum dicitur pro accedere ad negotium, accinget se ad agendum sic, ut omnia iuste fiant et secundum veritatem).

*Successus operis Christi* porro describitur *summatim et in complexu*, at figurata dictione, dum ferae et cicura animalia simul pascere dicuntur, et ne a nocentissimis quidem amplius periculum metui debet, quo emendatio morum pessimorum et concordia conuersorum ex omnibus gentibus praedicuntur, v. 6-9. Gradatim hoc euenit et eueniet, extremum nondum euenisse, experientia constat, sed et v. 9. conditioni adstringitur, quae nondum vere contigit: *non nocent non perdent in toto monte sanctitatis meae, quia* (vel quando) *plena est terra cognitione Iebonae, quemadmodum aquae mare obtegunt.*

His ita dictis, quae tam laetabilia sunt, et ad totum terrarum orbem pertinent, iterum et denuo asseritur, ista omnia per radicem illam *Isaei*, id est per antea dictum Immanuelem, ita praestanda esse, v. 10. *Et fiet illo die, radix Isaei, quae posita est, ut sit pro vexillo populis, ad illam Deum quaerent, et fiet quies eius mera gloria* (quando venerit tempus quieris, ecclesiae Christi in terra tribuendum, sublaris nempe hostibus v. 4. quando tota terra, quemadmodum maris alueus aquis regitur, cultoribus verae religionis plena est, omnia erunt gloriosa. Inepte vertit vulgata; et erit *sepulchrum eius gloriosum*, quibus verbis ridicule peregrinationes superstitiosas ad sanctum sepulchrum vulgo defendunt, et nuper iterum scriptor pontificius \*) integro volumine adstruere contendit).

Sigillatim praedicuntur *nona eaque secunda recollectio reliquiarum gentis Israeliticae a quatuor mundi plagis, quae ut fiat, continget aliquid, quo Deus gentibus quasi signum tollat, ut hoc agant, v. 11. 12.* Haec haecenus nondum euenit,

\*) Michael Muratoriz in gloria sacrosancti sepulchri Hierosolymitani etc. Warsouiae 1756. in 4.



euēnit. Reditu i e babilonica captiuitate verba nequaquam conueniunt; inſuper collectio illa ſine dubio prima fuit, ſed haec ſecunda erit, et vtraque ſimul ſumra demum praedictioni Moſis ſatisfacit *Leuit. XXVI. 44. Deut. IV. 30. 31. XXX. 1-8. XXXII. 43.* Tunc *Ephraim et Iuda non inimicitias inter ſe inuicem habebunt*, ſcilicet quemadmodum poſt diuiſum regnum et inprimis Iſaiae aetate habebant, quibus verbis etiam reipublicae ephraimicae reſtitutio inſtituitur, et ira illa Dei et extenſa manus, de qua ſupra dicebatur *C. X. 4.* tandem remiſit. E contrario *ſubiicient ſibi gentes inimicas*, quae quoniam vero nomine nondum nominari debebant, appellatur nominibus tunc notis, propter ſimilitudinem relationis ad Iſraelitas, v. 13. 14. *Impedimenta recollectionis* Iſraelitarum non ſolum diuina virtute pariter tollentur, quemadmodum olim in liberatione ex Aegypto, ſed efficacius quoque et iacius. Quare tollenda dicitur *lingua maris aegyptii* (ſinus heroopolitanus, qui lingua maris nominatur, vti in geographicis dicimus linguam terrae, ſcilicet venit hoc nomine tractus modicae latitudinis ſed longe protenſus) quae in exitu ex Aegypto tantummodo aliquantisper ſindebatur; ſed et *Euphrates diuidetur in ſeptem riuos*, vt vadofus fiat et bene pertranſiri poſſit, eaque via reliquiae populi veniant, vti quondam populus integer ex Aegypto, v. 15. 16.

Postremo deſcribitur *Cap. XII. quomodo eccleſia iſraelitica poſt illa magnaalia Dei edita et conſummata Deum laudatura ſit.* Obiectum laudis duplex eſt, alterum quod poſt tempus irae diuturnae Deus eius glorioſe miſeratus ſit, vt bonis gratiae nunc recte et plene fruatur, v. 1-2. alterum quod opus Dei etiam per totum terrarum orbem agnoſcatur, v. 4. 5. Concludit excitatio ad Hieroſolymitanos, vt de eo, quod ſanctus Iſraelis in hac vrbe magnitudinem ſuam oſtendat, laetentur, v. 6. Perfeſſiſſima erit laus illa, poſtquam euenerint promiſſa omnia, quorum pars etiamnum reſtat, ſed ſeries euentuum determinatus ex Apocalypſi I. C. Iohanni data ab illis erui poteſt, qui ea recte vti norunt. Atramen excitatio illa etiam ad credentes omnium temporum pertinet, eſtque laus fidei in eo poſita, quod verbo Dei credat, antequam, praedicta eueniſſe, oculis cernat. Secus vere non creditur Immanueli, qui erat et qui eſt et qui venit. Sit ergo nomen eius benedictum.

Quibus hic ſenſus eſt, vel qui ſaltem momentum cauſae, quae agitur, quando de Immanuele quaeritur, ſecum perpendunt, illis facile probabitur argumentum, quod in ſolenni oratione, qua feſtum natiuitatis Chriſti concelebrare ſolemus, tractabit Vir Nobiliſſ. Doctiſſ. FRIDERICVS GOTTLOB BORNIVS, Lipſienſis, operamque dabit, vt argumenti dignitate ſermonis cultus ne indignus videatur, ipſique ſperamus, illum ſollertiam ſuam auditio bene probaturum eſſe. Dicit de neceſſaria circumſpectione adhibenda ad tuendam conſtantiam in fide Ieſu Chriſti. Ad quem itaque audiendum, vt diſto die audita hora XII conueniant, **ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIPVELICAE PROCERES, Generoſiſſimos Nobiliſſimosque Ciuos noſtros, cunctosque rerum noſtrarum Fautores,** humaniſſime rogamus. P. P. Lipſiae Dom. IV. Aduent. A. N. C. **MDCCCXXII.**



Fd 5611

ULB Halle  
002 715 18X

3




7H 306

VD 77

NC











14

D. CHRIST. AVG. CRVSII  
GNOMON  
AD  
PROPHETIAM  
DE  
IMMANVELE,  
IES. VII. XII.

PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.  
FESTO NATIVITATIS CHRISTI  
MDCCLXXII.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA